

oportet in terris dici, sicut in coelis resonant. Universis igitur Ecclesiasticis hanc observantiam damus, quam quisquis praeterierit, communionis jacturam habebit.

XVI. — *De discretione Gloriam in fine responsiorum.*

Sunt quidam, qui in fine responsiorum *Gloria* non dicunt: propter quod interdum inconvenienter consonat. Sed haec est discretio, ut laetis sequatur *Gloria*, in tristioribus repetatur principium.

XVII. — *De Apocalypsis libro in omnibus recipiendo.*

Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, et Synodica SS. Praesulum Romanorum decreta Joannis Evangelistae esse praescribunt, et inter divinos libros recipiendum, atque in Ecclesia Dei praedicare contendunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten, Missarum tempore in Ecclesia non praedicaverit; excommunicationis sententiam habebit.

XVIII. — *Quod post benedictionem populo datam, sic communicare debent Sacerdotes.*

Nonnulli Sacerdotes post dictam orationem dominicam statim communicant, et postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tum demum corporis et Sanguis Domini Sacramentum sumatur, eo videlicet ordine, ut Sacerdos et Levita ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus.

XIX. — *De ordinatione Episcoporum.*

Perniciosa consuetudo nequaquam est reticenda, quae majorum statuta praeteriens, omnem Ecclesiae ordinem perturbavit; dum alii per ambitum sacerdotium appetunt, alii oblati muneribus Pontificatum assumunt, nonnulli etiam sceleribus implicati, vel saeculari militiae dediti, indigni ad honorem summum, ac sacri ordinis per-

venerunt. De quorum scilicet casu atque remotione oportuerat quidem statuendum; sed ne perturbatio quam plurima Ecclesiae oriretur, praeteritis omissis, deinceps qui non promoveantur ad sacerdotium ex regulis Canonum necessario credimus inserendum (*Dist. 51, cap. Qui in aliquo*): id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiae nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam poenitentiam admisisse confessi sunt, qui in haeresim lapsi sunt, qui in haeresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione, aliquid minus habere noscuntur, qui secundae uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas (*Videtur intelligendum de concubinis ad tempus adhibitis; de quibus dis. 34, c. His qui*) ad fornicationem habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti sunt, vel laici sunt, qui saeculari militiae sunt dediti, qui curiae nexibus obligati sunt, qui inscii literarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quaerunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur. Sed nec ille Sacerdos deinceps erit, quem nec Clerus, nec populus propriae civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitanus, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem sacerdotii postulatus, et in his quae praedicta sunt, exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, atque examinatus, probabilis vitae atque doctrinae extiterit; tunc secundum synodalia vel decretalia constituta, cum omni Clericorum vel civium voluntate ab universis Comprovincialibus Episcopis, aut certe à tribus, in sacerdotium die Dominica consecrabitur, convenientibus caeteris qui absentes fuerint literis suis, et magis auctoritate vel praesentia ejus qui est in metropoli constitutus. Episcopus autem Comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitanus elegerit; Metropolitanus autem non nisi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra praedicta vetita Canonum ad gradum sacerdotii aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

XX. — *De numero annorum, quo Sacerdotes, et Levitae ordinentur.*

In veteri lege (*Num. 8, dist. 77; Ivo, part. 6, c. 22*) ab anno vicesimo et quinto Levitae tabernaculo servire mandantur: cujus auctoritatem in Canonibus et Sancti Patres sequuti sunt. Nos et divinae legis, et Conciliorum praecepti immemores, infantes et pueros Levitas fecimus ante legitimam aetatem, ante experientiam vitae: ideoque ne ulterius fiat à nobis, et divinae legis, et canonicis admonemur sententiis: sed à viginti et quinque annis aetatis Levitae consecrantur, et à triginta annis Presbyteri ordinentur: ita ut, secundum Apostolicum praeceptum (*I Tim. III*) *probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes.*

XXI. — *De castitate Sacerdotum.*

Quicumque in sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo Apostolo attestante (*Ibid.*): *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Inoffensos igitur et immaculatos decet Dei existere Sacerdotes, nec ullo eos fornicationis contagio pollui, sed caste viventes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, et ab omni inquinamento carnis liberi maneamus: ut mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digni accedere, et Deum pro delictis omnium deprecari.

XXII. — *Ut Episcopus in conclavi suo idoneum testimonium habeat.*

Quamvis conscientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen apud homines famam optimam custodire convenit (*Rom. XI*): ut juxta praeceptum Apostolicum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, vitae sanctae testimonium habeamus. Quidam enim hucusque Sacerdotum non modicum scandalum creaverunt, dum in conversatione vitae non bonae famae existunt. Ut igitur excludatur deinceps omnis nefanda suspicio, aut casus, et ne detur ultra saecularibus obtrectandi locus, oportet Episcopos testimonium probabilium personarum in conclavi suo habere; ut et Deo placeant per conscientiam puram, et Ecclesiae per optimam famam.

XXIII. — *Ut Presbyter, vel Diaconus similiter, vitae suae habeant testes.*

Non aliter placuit, ut quemadmodum Antistes, ita Presbyteri, atque Levitae, quos forte infirmitas, aut aetatis gravitas in conclavi Episcopi manere non sinit, ut iidem in cellulis suis testes vitae habeant, vitamque suam sicut nomine, ita et meritis teneant.

XXIV. — *De conversatione Clericorum; ut in uno conclavi sint.*

*Prona est omnis aetas ab adolescentia in malum.* (*Prov. XXX*). Nihil enim incertius (*12, q. 1, Omnis aetas*), quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur: ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem magistrum doctrinae et vitae testem habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, à sacerdotali tutela foveantur; ut et vita eorum à criminibus intacta sit, et res ab injuria improborum. Qui autem his praeceptis resultaverint, Monasteriis deputentur, ut vagantes animi et superbi severiori regula distringantur.

XXV. — *Ut Sacerdotes Scripturarum sacrarum, et Canonum cognitionem habeant.*

Ignorantia, mater (*Dist. 58, Ignorantia mater; Buch. lib. 1, cap. 100*) cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum (*II ad Tim. IV*): *Intende lectioni, exhortationi, doctrinae; semper permane in his.* Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas et Canones: ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

XXVI. — *Quod parochianis Presbyteris, cum ordinantur, officialis libellus debeat dari; et ideo Presbyteri in Litanis sint de officio quaerendi.*

Quando (*Dist. 58, Quando*) Presbyteri in Parochis ordinantur, libellum officialem à Sacerdote suo accipiant; ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant: ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant; ita ut quando ad litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant.

XXVII. — *De professione Presbyterorum, vel Diaconum Episcopo facienda, cum in parochiis ordinantur.*

Quando (*Dist. 28, Quando Pres.*) Presbyteri vel Diacones per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore: ut dum eos talis professio religat, vitae sancte disciplinam retineant.

XXVIII. — *De ordine, quo depositi iterum ordinantur.*

Episcopus (*Ivo, q. 5, Ep.*), Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario (*Alias, de manu Episcoporum, si Episcopus est orarium, etc.*) de manu Episcopi, orarium, annulum et baculum; si Presbyter, orarium, et planetam; si Diaconus, orarium et albam; si Subdiaconus, patenam, et calicem: sic et reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quae cum ordinarentur perceperunt.

XXIX. — *De Sacerdotibus, Levitis, vel Clericis magos, aut aruspices consulentibus.*

Si Episcopus (*Quaest. 5, Si quis*), aut Presbyter, sive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem

aliquam, aut aliquos eorum similia exercentes, consulere fuerit deprehensus; ab honore dignitatis suae depositus, Monasterii poenam excipiat, ibique perpetuae poenitentiae deditus, scelus admissum sacrilegii luat.

XXX. — *De Sacerdotibus ad gentem extraneam nuncios mittentibus.*

Confinitimi hostium Sacerdotes, praeter eos, qui à Regia potestate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum à gente extranea occulte accipere, vel dirigere non praesumant: qui autem deprehenditur, atque convincitur, denuntiatus Principi, apud Concilium condigna animadversione multabitur.

XXXI. — *De discretione causarum, in quibus Sacerdotes iudices fieri possunt.*

Saepe (*29, XXIII, q. 8, Saepe Principes*) Principes contra quoslibet Majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia Sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentient Regibus fieri Iudices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia praeparetur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

XXXII. — *De cura populorum, et pauperum, quam Episcopi sibi impositam noverint.*

Episcopi in protegendis populis ac defendendis impositam à Deo sibi curam non ambigant (*Ivo, part. 16, cap. 2*); ideoque dum conspiciunt Iudices et potestates pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant; et si contempserint emendare, eorum insolentiam regiis auribus intiment: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat. Si quis autem Episcoporum neglexerit, Concilio reus erit.

XXXIII. — *Ne ex facultatibus Ecclesiarum dioecesis, excepta tertia oblationum, tributorum, aut frugum Episcopus aliquid auferat.*

*Avaritia radix cunctorum malorum* (I Tim. vi; Ivo, p. 3, c. 255): ejus sitis etiam Sacerdotum mentes obtinet. Multi etiam fidelium in amore Christi et Martyrum, in Parochis Episcoporum Basilicas construunt, oblationes conscribunt. Sacerdotes haec auferunt, atque in usus suos convertunt. Inde est, quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium Basilicarum ruinae non reparantur; quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à praesenti Concilio, Episcopos ita Dioeceses suas regere, ut nihil jure praesumant auferre; sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis, ac frugibus tertiam consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis praesumptum extiterit, per Concilium restauretur; appellanibus, aut ipsis conditoribus aut certe propinquis eorum, si jam illi à saeculo decesserunt. Noverint autem conditores Basilicarum, in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere (10, q. 1, *Noverint*); sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.

XXXIV. — *De tricennii tempore, et propter provincias causarum discretionem.*

Quicumque (*Dist. 16, q. 3, Quicumque*) Episcopus alterius Dioecesis per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis, ejus jam videtur esse Dioecesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi: sed hoc intra unam provinciam; extra vero nullo modo: ne dum Dioecesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

XXXV. — *De conventu territorii, et basilicis noviter constructis, ad quem Episcopum pertineant.*

Sicut Dioecesis alienam tricennalis (16, q. 2, *Possessio, et 16, q. 3, Sicut Dioecesis*) possessio tollit, ita territorii conventum non

adimit. Ideoque Basilicae, quae novae conditae fuerint, ad eum proculdubio Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

XXXVI. — *De requisitione Episcoporum per singulos annos in parochiis peragenda.*

Episcopum (10, q. 1, c. *Episcopum*) per cunctas Dioeceses Parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquaeque Basilica in reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequirit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui et redditus Basilicarum, et reparationes, et ministrantium vitam inquirent.

XXXVII. — *De promisso pro suffragio praestito, ex rebus Ecclesiae persolvendo.*

Quicumque (12, q. 2, *Quicumque suffrag.*) Episcopi suffragio cujuslibet aliquid ecclesiasticae utilitati providerint, et pro eo quodcumque modicum in remunerationem promiserint, promisi solutionem eos exolvere oportebit: ita ut id ad Concilium Comprovinciale deductum, eorum conniventia confirmetur: quia sicut Paulus Ap. ait (I Tim. v): *Dignus est operarius mercede sua.*

XXXVIII. — *De suffragio fundatoribus Ecclesiarum, vel filiis eorum, ex rebus ab ipsis collatis, impertiendo.*

Praebendum est à Sacerdotibus vitae solatium indigentibus; et maxime his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicumque (16, q. 7, *Quicumque fideles*) ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiae aliquid devotione propria contulerunt; si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant. Si enim Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in usum res ecclesiasticae largiuntur; quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur.

XXXIX. — *De discretione Presbyterorum, vel Diaconorum, ut in utroque choro consistent.*

Nonnulli (*Dist. 95, Nonnulli; Ivo, p. 6, c. 297. In uno tantum Codice Lucensi, in utroque consistent, legitur, quam lectionem sequuti sunt Correctores Romani*) Diacones in tantam erumpunt superbiam, ut se Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare praesumant, Presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo ut sublimiores sibi Presbyteros agnoscant, tam hi, quam illi in utroque choro consistent.

XL. — *De uno orario Diaconibus utendo, nec ornato, sed puro.*

Orariis duobus nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero uti, quanto magis Diacono, qui minister eorum est? Unum igitur Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, praedicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodo Levita gemino uti Orario, sed uno tantum, et puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.

XLI. — *De qualitate tonsurae à cunctis Clericis, vel Lectoribus communiter habenda.*

Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitae, et Sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquunt: non sicut hucusque in Galliciae partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiae scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, et una sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniae est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicae reus erit.

XLII. — *De remotione mulierum à consortio Clericorum.*

Cum Clericis extraneae foeminae nullatenus habitent; nisi tantum mater, et soror, filia, vel amita. In quibus personis nihil sce-

leris existimari foedus naturae permittit. Id enim et constitutio antiquorum Patrum decrevit.

XLIII. — *De venditione mulierum, quae Clericis conjunctae noscuntur.*

Quidam Clerici (*Dist. 81, Quidam Clerici*) legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt: ideoque quaecumque Clericis adjunctae sunt, ab Episcopo auferantur, et veniuntur, illis pro tempore religatis ad poenitentiam, quos sua libidine infecerunt.

XLIV. — *De personis mulierum, quas non convenit Clericis copulari: et si nesciente Episcopo, Clericus ducat uxorem.*

Clerici (*22, q. 1, Clerici; Ivo, p. 8, c. 286*) qui sine consultu Episcopi sui, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, separari eos à proprio Episcopo oportebit.

XLV. — *De Clericis, qui arma sumpserint, vel sumpserunt.*

Clerici (*25, q. 8, Clerici; Ansel. lib. 7, c. 187*) qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, vel sumpserunt; reperti amisso ordinis sui gradu, in Monasterium (*Perenniter ex*) poenitentiae contradantur.

XLVI. — *De Clericis sepulchra demolientibus.*

Si quis Clericus (*Ivo, p. 5, c. 49*) in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus; quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum Clericatus ordine submoveri, et poenitentiae triennio deputari.

XLVII. — *De absolutione à laboribus, vel indictionibus Clericorum ingenuorum.*

Præcipiente Domino atque excellentissimo Sisenando Rege, id constituit sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici pro officio